

17
POLONIA

Seu

BREVIS DESCRIPTIO STA-

TVVM REGNI POLONIÆ:

CVM PARTITIONE PROVINCIA-

RVM, ET ORDINVM.

Ex variis Auctoribus collecta

OPERA STANISLAI KRZISTA-
nowic IC^{ti}.

CVI ACCESSERE

ADIVNCTA TESTAMENTORVM, DVORVM

Magnorum in Poloniâ Virorum. Vnum Archiepiscopi Leo-
polienſis : Alterum Magni Cancellarij Re-
gni Poloniæ.



*Nota. Hanc deſcriptionem in linguam
Germanicam translationem produiſſe A.
1697. b. Crayon (vel potius Lipſius) in 8.
et Hamburgi in 4. quæ poſterior verſio
in hac Collectione ſequitur ſub A. 11.*

MOGVNTIÆ,

Typis IOANNIS ALBINI, anno

cl. b. CVI.



ILLVSTRI ET
GENEROSO D. DO-
MINO STANISLAO ZOLKIEW-

SKI, CASTELLANO LEOPOLIENSI, EXERGI-
tuum Campestrum Regni Poloniae generali Praefecto,
Chrubiessouienſi, Rohatinenſi, Camionoceniſi, Ca-
luſcenſiq; &c. Capitanco, Domino ac Pa-
truo ſuo ſummum obſeruando.

S. D.



OLLEGERAT antè paucos dies,
ad instantem quorundam ex-
ternorum petitionem, Clar^{mus}
D. Moderator meus, ex Cro-
meri Poloniâ, & Prochnicij
tabellâ, breue quoddam ſtatus & ordinis Re-
gni Poloniae compendiolum. Illud cùm le-
gendum iis daret, fuerunt multi, qui ſeriò in-
ſtarent, vt, quod, propter paucos, priuatum
A 2 fecerat,

P R Æ F A T I O.

fecerat; propter plures, qui auidè nosse cupiebant, publicum fieri curaret. Renuebat diu multumq; , nec tamen preces illorum cessabant. Tandem paruit ille, vt vi des Ill^{ris} & Generose Domine, ac in lucem abire iussit. Sine tutelari Deo? minimè gentium. Vt tuo Illustri Nomini à me dicaretur, non ancipiti consiliylance, nec diu deliberandum mihi fuit. Tibi deberi, suadebant. Primùm, quòd in hoc amplissimo & augustissimo Statuum Regni Poloniæ ordine, inter cæteros censearis; C A P I T A N E V S tot locorum, ob singularem tuam dexteritatem, in moderamine illorum distri-ctuum: Campestris Militiæ Generalis Præfe-ctus, ob summum vsum, & experientiam rei militaris: C A S T E L L A N V S, & Senator Regni, ob non vulgarem', in rebus & negotiis Rei-publ. Polonæ prudentiam. Alterum, quòd, cùm tot curis publicis in Regno hoc destinea-ris, & planè obruaris; nihilominus, tantus semper amator litterarum extitisti: vt te admi-rari potiùs, quàm imitari posse quisquam ar-bitre-

P R Æ F A T I O.

bitretur. Vidi namq; ego, te, in Liuonico bello, (vt cæteras tuas expeditiones præteream) diurno tempore, Ducis fortissimi munia ob-
euntem; nocturnis vigiliis libros reuoluere, veterum auctorum monumenta perlustrare: vidi inter tormentorum fulmina, gladiatorum stridores oberrantem, innatam studendi cupiditatem, nunquam deponere: vidi in acie instruendâ, te, Camillos, Marios, Fabios, Scipiones, præstantissimos Romanorum Duces repræsentantem; nullam tamen vnquam opportunitatem aliquid addiscendi corrumpere. Testatur illud Solonis, frequenter à te in multorum virorum præsentia vsurpatum. *Senescio semper aliquid addiscens.* Quid multis? Eum te semper præbuiſti, & præbes; vt pacis tempore, optimum Senatorem, bono Reipub. agas: priuatim sæpè litterarum dulci consortio te exerceas: cum verò sæuus Mars, ac bellorum tuba insonuerit, strenui propugnatoris munus, cum laude, obeas. Habes Illustriſ & Generose Domine dedicationis meæ cauſas, ſed

P R Æ F A T I O.

publicas: priuatam vnicam addam. Mineral
studiorum meorum tibi debetur. Tu enim is
es, qui me Nepotem tuum, bono meo, ad ex-
teras nationes proficisci prudentissimo consi-
lio suaseris: abeuntem benedictione tuâ planè
paternâ profecutus fueris: commorantem
hucusque saluberrimis monitis sæpè ad studia
erexeris, erectum animaueris. Mineral igitur
adfero, dum tibi Polonici status Typum, in
compendium redactum dedico. Cui adposui,
adiuncta vltimæ voluntatis, duorum in Re-
pub. Polonâ virorum; vnum Ill^{mi} & Reu^{mi} Ar-
chiepiscopi Leopold. piæ memoriæ Ioannis
Demetrii Solikouij: qui, dum ad beatas cœlo-
rum sedes migraret, cum cæteris, te Illustris &
Generose D. inter amicos suos in eo voluit
censeri. Alterum Magni illius Zamoscij, Can-
cellarij, & Generalis exercituum Regni Polo-
niæ, cuius tu Illustris & Generose Domine,
in omnibus expeditionibus comes, in omni-
bus periculis fidus Achates fuisti, omnium vi-
ctoriarum, omnium triumphorum particeps
extiti-

P R Æ F A T I O.

extiristi. Illius viri, qui talem nominis sui immortalitatem reliquit, ut ipsius animi magnitudinem, præclare gestorum multitudinem, posterius admirari; memoriam Polonia nunquam dignis lachrymis prosequi valeat. Accipies itaque Illustris & Generose Domine, hoc quaecunque, cultus & affectus mei prompti ad omnia tua imperia, mnemosynon & tesseram: meque & auctorem libelli, ut soles, beneuolentiâ singulari, donec reliquum studiorum meorum tempus, ex meo litterario censu, maiora ante aram tui Nominis deponat, prosequeris. Vale patriæ, & nobis omnibus, diu felix ac sospes. Moguntia ex Musæo meo Kalend. Martij, anno 1606.

Illustri & Generosæ Dominationi
tuz Nepos, ad omnia seruitia
promptissimus.

Adamus à Zolkievv Zolkievvski.

carissimi. Illius viuique salutem nominis in
notitiam te pervenit, ut ipse a me magis
inveniret, per te salutem salutem
posset habere: innotuit Polonia non
quam dignis sacrificiis prolepti valeat. Acci-
pitis utique illius & Gerardo Domini, hoc
quod cumque scribit & affectum prompti
ad omnia tua imperia, innotuit non & esse
tam meque & auctorem libelli videret, bene-
volentia magis, deo se ipsum studium
innotuit, ex meo literario censu, ma-
ior ante astra tui Domini deponat, prole-
ptis. Vale pariter, & nobis omnibus, diu
felix ac solus. Mogenis ex Mulro meo Ka-
lend. Martii, anno 1606.

Illius & Gerardo Domini
innotuit, salutem salutem
la promptam.

Adamus & Zolkiery Zel-
kery.



REX POEONIAE.

VT à REGE, tanquam suo capite totum negotium initium capiat. REX POLONIAE, Prouincias ditioni suæ subiectas; easque linguis ferè omnes, vel dialectis saltem nonnullas differentes, habet octo: Poloniam Maiorem, & Minorem: Magnum Ducatum Lituaniæ, Ducatus item Russiæ, Prussiæ, Massouiæ, Samogitiæ, Pomeraniæ, Liunioniæ. Ex his Prouinciis, habent nonnullæ DVCES, REGI, & Regno Poloniæ Feudatarios, vt sunt in Prussiâ, Liunioniâ, & Pomeraniâ.

VALACHIAE quoque, siue MOLDAVIAE inferioris, quæ est Russiæ contermina; Princeps, Regum Poloniæ per multos annos fuit Feudatarius; cuius etiam homagij, Regibus & regno Poloniæ sæpius præstiti, extat in Statutis Regni, forma iuramenti. Inualecente postmodum Turcarum potētia, Principes illi, siue vt vocantur Palatini, Turcarum quoque Imperium comiter colere, & tributis annuis, pacem redimere cœperunt; ita tamen, vt Poloniæ quoque Regum Maiestatem, & fidem agnoscerent, ac mittendis etiam, statis temporibus; honorariis, muneribus, nempè equis Thracicis generosis: bobus in vsum culinæ: vinis Creticis: & id genus aliis: subiectionem fiduciarum profiterentur. Et fœdere æquo, inter Polonos & Turcas, in pacem mutuam sancito, disertis verbis caueretur, ne Prouinciā illam cuiquam, Turcarum Princeps, vnquam, præter Poloniā

loniæ Regis voluntatem, committeret: vtque is, qui eam obtineret, Regi quoq; Poloniæ fidelis esset. Nuper aut, anno Salutis humanæ 1595. cum Turcarû Princeps, eam Provinciam, contra pacta, Tartaris inhabitandam concessisset, à Polonorû exercitu, operâ IOANNIS ZAMOSCH *Cancellarii Magni, & Generalis exercituum Regni*, Tartaris eiectis, deductus in illam est, vnus ex indigenis illis, iure Regni Poloniæ, ac prærogatiuis Nobilitatis ante donatus: isq; eã nunc Regi Poloniæ iuramento obstrictus, pacatè administrat.

Sunt & alij in Regno, titulo DVCEVM, & Marchionum insigniti: qui tamen cum reliquis Regni Proceribus, COMITIBVS, BARONIBVS, ac Nobilibus, communi iure vtuntur. Ordo etenim equestris, cum magnam sibi, apud suos Principes, & Rempub. parasset laudem, & merita, bellicis artibus, ac fortitudine militari, ad eam cum Titulatis æqualitatem peruenit, vt æquo iure, & ad capeffendos honores, & ad liberam, noui Regis electionem pertineat. Vnde tanta omnium, & par libertas. Quamuis Nobilium filij, qui vel studio ciuilitatis, prudentiæq; vsu rerum comparandæ incitati, vel tenuitate fortunarum adacti, contra Occidentalium morem, non modò Magnatum, Episcoporum, Sacerdotumque clientelas; verum etiam, in parium, ac tenuiorum, inferiorumq; nonnunquam, eorû præfertim qui Magistratus gerunt, aut aliquo sunt in aula Regis numero, aut opibus, industriâ, eruditione, gratiæue populari valent, ministerium se tradunt; aut à parentibus suis traduntur. Nec pudendû, aut dedecori affine est, genus hoc ministerij, sed liberale, & sociabile: nec rara est in eo vicissitudo, ita vt cum quis habeat in ministerio, cuius parentibus ipse seruiret: honestaq; habetur hæc iuuentutis Equestris educandæ ratio, æquabilitatem quandam, etiam in æqualibus fortunis con-

nis continens. Hinc fit, vt multos, ex humili loco, ac tenui fortunâ, non modò ad mediocres, verùm etiam ad summos nonnunquam honores, amplissimasq; facultates, & opes, ipsorum virtus, Heroumq; beneficia prouehat.

PROVINCiarVM POLO- NIÆ DIVISIO.

PROVINCIAE omnes diuiduntur in *Diaeceses & Palatinatus*. Hi in *Castellanatus*, siue districtus. Qui item subdividuntur in *Capitaneatus*, siue *Præfecturas*, easq; duplices: cum Iurisdictione videlicet, & sine Iurisdictione, quæ sunt bona Regia, siue patrimonium Principis. In bona deinde, hæreditaria Ecclesiæ Dominorum ac Nobilium.

DIOECESSES.

Diaeceses latius se extendunt nonnullæ, quam, vt vno Palatinatu comprehendantur. *Cracouiensis* namq; (Archiepiscopatus quondam) tres Palatinatus suo continet ambitu; Cracouiensem, Sandomiriensem, & Lublinensem. *Vilnensis* totius Magni Ducatus Lituanix finibus, licet admodum amplis terminatur. *Samogitia* itidem (Regnum olim) vniciū habet Episcopum. Et sic quædam aliæ.

Diaeceses in Regno Poloniæ numerantur in vniuersum sedecim, duæ quidem Archiepiscopales, reliquæ Episcopales hoc ordine.

Archiepiscopatus. Gnesnensis.

Leopoliensis.

Episcopales.

Cracouiensis.

Cuiaviensis.

Vilnensis.

Poznaniensis.

Ploeciensis.

Varmiensis.

Luceorienfis.

Præmislienfis.

Samogitiæ.

Culmenfis.

Chelmenfis.

Kiouienfis.

Cameneceanfis.

Vendenfis.

GNESNENSIS Sedis Archiepiscopus, est Legatus natus, Regni Primas, ac primus Princeps. Hic non solum iurisdictionem habet in vniuersum in Regno Clerum, ac primum in ordine senatorio locum; verum etiam summam in consiliis auctoritatem: & qui inter regni tempore DD. Senatores Regni, ad consultandum de rebus ad Rempubl. pertinentibus conuocat, legationes externas audit, diem & locum electioni noui Regis indicit: eundem electum nominat, & promulgat: ac postea in solemnibus coronationis Comitibus, Cracouiæ celebrari solitis, diademate capiti imposito inaugurat. *Metropolitana Sedis Leopoliensis* Archiepiscopus, secundum locum in Senatu obtinet. Eum sequuntur ordine supra declarato Episcopi, qui in ordine senatorio omnes seculares præcedunt. Ea namq; fuit *Regum* Poloniæ pietas, vt statim à receptione fidei Christianæ, Catholicæ, orthodoxæ, Romanæ, redacto Regni sui, ad imitationem aliarum, quæ fidem iam susceperant, Prouinciæ regimine omni: illud insuper addidère, quod Ecclesiæ Antistites, primum, debeant perpetuò in Senatu Regni obtinere locum; eosque vti Ecclesias illorum curæ subiectas, atque adeò vniuersum Clerum, amplissimis donauère immunitatibus: quibus etiam nunc gaudent, maximo
Regni

Regni illius commodo, emolumento, adiumento, addo & ornamento.

PALATINATVS.

Palatinatus (vt à Diocesibus ad eos tranſeamus) omnes, certos habent limites, & diſterminia. Propriè aut̃ *Palatinatus* ſunt *Ducatus*, ſiue ſpectes amplitudinē territorij cuiuſq; ſiue Nobilitatem in quolibet Palatinatu degentem. Ex eâ namque cūm ſit numeroſa, iuſta ſemper haberi poteſt manus, ad hoſtes propulſandos, vel etiam laceſſendos bello. Proinde *Palatinus* quilibet, eſt Princeps creatus, primarius in ordine ſecularium Senator, & *Dux* exercitus ſui Palatinatus. Sed præter munus ſenatorium, non exercet ſuum militiæ officium, niſi tempore generalis, ex vniuerſo Regno expeditionis. Ad quam non recurritur niſi ingruente aliquâ, hoſtis potentiffimi vi. Pacis tēpore, habet ius in ſuo Palatinatu, conuentus Nobilitatis inſtituere: iuſq; & iudiciis præſidere: præcia rebus venalibus, præter tēpus comitiſſorum, & belli, imponere: ponderum & menſurarum curam gerere. Iudæorum quoq; Iudicia ad Palatinum pertinent. Sunt *Palatini* in toto Regno Poloniæ Magnoque Ducatu Lituaniæ. 34. Cum quibus nonnulli, quoad locum in Senatu, *Caſtellani*, & vnus *Capitaneus*, prærogatiuâ quadam vtuntur: & inter eos Caſtellanus Cracouienſis ex quodam ſingulari priuilegio, omnes ſecularis ordinis Senatores præcedit. Hic autem ordo ſeruatur.

<i>Caſtellanus.</i>	Cracouienſis.
<i>Palatinus.</i>	Cracouienſis.
	Poſnanienſis.
	Vilnenſis.
	Sendomiriſienſis.

<i>Castellanus.</i>	Vilnenfis.
<i>Palatinus.</i>	Califfienfis.
	Trocenfis.
	Siradienfis.
<i>Castellanus.</i>	Trocenfis.
<i>Palatinus.</i>	Lenciciæ.
<i>Capitaneus.</i>	Samogitiæ.
<i>Palatinus.</i>	Breftenfis.
	Kiouienfis.
	Inoulodiflanienfis.
<i>Palatinus.</i>	Ruffiæ.
	Volhinia.
	Podolia.
	Smolfcenfis.
	Lublinenfis.
	Polocenfis.
	Belzenfis.
	Nouogrodenfis.
	Plocenfis.
	Vitebscenfis.
	Maflouia.
	Podlachia.
	Rauenfis.
	Brefcenfis.
	Culmenfis.
	Mfciflauienfis.
	Marieburgenfis.
	Braslauienfis.
	Pomerania.
	Minfcenfis.
	Vendenfis.

Derpatensis.

Parnauiensis.

CASTELLANATVS.

Sequuntur *Castellanatus*: Illi sunt *Districtus*, *Territoria*, siue partes *Palatinatus* cuiusque; qui etiam certis circumscripti sunt limitibus; vti quoque bona Regia, à bonis Ecclesiæ, Dominorum ac Nobilium, hereditariis ibidem existentibus; discreta. Sunt autem in *Palatinatu* vno, aliquando quaterni, terni, bini minimum *Castellanatus*. *Castellanus* vero ad munus Senatorium, quo itidem fungitur: obtinet vices, in exercitu sui *Palatini*, illiusque loco præest sui quisque *districtus Nobilitati*, hæc eadem generali, ad bellum, expeditione. Nullam præterea *iurisdictionem* extra belli negotium in territorio, quamvis senatoriâ dignitate gaudeat, exerceat. *Castellani* in regno sunt numero 83, duplicis tamen ordinis: Quidam vocantur maiores: quidam minores. Maiores sunt 31.

Poznański.

Sandomirski.

Kaliszki.

Wojniczki.

Gnieński.

Sieradzki.

Lencicki.

Samogicki.

Brestki.

Kiowski.

Inowodzieński.

Lepoleński.

Włocławski.

Came-

Camenecensis.

Smolscensis.

Lublinensis.

Polocensis.

Belzensis.

Nouogrodensis.

Plocensis.

Vitebscensis.

Cernenfis.

Podlachiz.

Rauensis.

Bresciensis.

Culmenfis.

Mscislauiensis.

Elbingensis.

Braslauiensis.

Gedanensis.

Minscensis.

Hi propterea dicuntur maiores, quia cum ceteris Senatoribus tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, ad omnia etiam secretissima consilia admittuntur. Minores sunt 52.

Sandecensis.

Medirecensis.

Wislicensis.

Bieensis.

Rogosnensis.

Radomiensis.

Zavvichostenfis.

Lendenfis.

Sremenfis.

Zarno-

Zarnouienſis.
Malogoſtenſis.
Wielunenſis.
Præmiſlienſis.
Halicienſis.
Sanocenſis.
Chelmenſis.
Dobrinenſis.
Polanecenſis.
Premetenſis.
Criuinenſis.
Czechouienſis.
Naclenſis.
Roſpierenſis.
Biechouienſis.
Bidgoſtienſis.
Breſinenſis.
Kruſuiccenſis.
Oſywiecimienſis.
Camenenſis.
Spicimirienſis.
Inowłodeniſis.
Koualienſis.
Santocenſis.
Sochacouienſis.
Wartouienſis.
Goſtinenſis.
Wiſnenſis.
Raciaſenſis.
Sieprcenſis.
Wyſogrodenſis.

Ripinensis.
 Zakrocimenfis.
 Cziechanouienfis.
 Liuenfis.
 Slonscenis.
 Lubacouienfis.
 Conariensis. Terræ Siradiensis.
 Conariensis. Terræ Lencieiz.
 Conariensis. Terræ Cuiauiz.
 Wendenfis.
 Derpatensis.
 Pernauienfis.

Minores verò vocantur ideò, qui etiamfi cum exteris supradictis Senatoribus Regni, Senatorum priuilegiis in reliquis gaudeant, & sint verè Senatores; à secretioribus tamen consiliis nonnunquam excluduntur.

Et hi sunt triplicis ordinis Senatores Regni, Episcopi cum duobus Archiepiscopis: Palatini, & Castellani. Sequuntur officiales Regni,

OFFICIALES REGNI.

HI sunt duplicis ordinis: Quidam sunt ordinis Senatorii, qui cum prædictis Senatoribus iisdem prærogatiuis vtuntur: Quidam sunt extra ordinem Senatorium. *Ordinis Senatorii sunt 10.*

Marschalcus Regni supremus.
 Marschaleus supremus M. Duc. Lituaniz.
 Cancellarius Regni.
 Cancellarius M. D. Lit.

Vice-

REGNI POLONIÆ.

II

Vicecancellarius Regni.
 Vicecancellarius M. D. Lit.
 Thesaurarius Regni.
 Thesaurarius M. D. Lit.
 Marschaleus curiæ Regni.
 Marschaleus curiæ M. D. Lit.

Ernestus Augustus
Romanus Imperator

Marschaleus est Magister Aulae Regiæ, & administer consilii publici: penes quem ius est, conuocandi Senatum, iussu Regis, vel Primatis: præstandi silentium & audientiam: faciendi potestatem in Comitibus, dicendæ sententiæ: Legatos externos aduentantes excipiendi, illisque de rebus necessariis prouidendi: eiiciendi è consilio eos, qui ad id non pertinent: pronuntiandi decreta Regia in causis infamiae, & ultimi supplicij: illaque exequendi: promulgandi ad populum Senatusconsulta: moderandi pompis publicis: Hospites Illustres suscipiendi: compescendi motus inquietorum, atq; turbulentorum, non modo circa Senatum, & in publico, sed etiam in priuatis Regis cœnaculis, & habitaculis: animaduertendi in delicta, quæ in loco, & opido domicilij, siue hospitij Regij, vel comitiorum admittuntur. Denique in Comitibus, & in comitatu Regio, diuersoria distribuendi: & imponendi rebus venalibus precia. Marschalci etiam est, in Aulicum Regis comitatum, & administratos mensæ Regiæ, aliorumq; munerum Aulicorum (profanos duntaxat intelligo) iurisdictio, censura, & animaduersione vel suum negligent officium: vel contra decorum aliquid committant. In publicis conuentibus, & Regi, in publicum prodeunti, præfert erectum sceptrum ligneum, seu baculum. Hæc eadem priuilegia habent, Marschalei curiæ, in absentia Supremorum.

Cancellarius, Vicecancellarius, tam Regni, quàm *M.D. Litua:* nominibus & loco distincti; potestate & munere exæquati. Diplomatribus, edictis mandatis, epistolis, & aliis Scripturis Regiis conscribendis, atq; signandis, quæque ad eum mittuntur, accipiendis, & legendis præfunt. Itaque in potestate suâ, habent signa Regia. Cancellarius quidem maius; Vicecancellarius minus. Auctoritas eorum eousque patet, vt multa inconsulto Rege signare; quæ verò contra leges esse videntur, iubenti illi negare possint. Dant etiam responsa Regio nomine; & quibus de rebus consilium haberi debet, in senatu proponunt. Denique Senatus consulta, Regiaq; & comitialia placita, ac decreta, litteris mandat, & in publicum edunt. Sunt etiam cognitores priuatarum querimoniarum, & prouocationum, ab Urbanis, & Opidanis, Præfectorumq; iudiciis, ad Regium tribunal deuolutarum. Secretariis, scribis, sacerdotibus, concionatoribus, & cantoribus Aulicis, cæremoniisq; circa Regem Ecclesiasticis, is præsertim qui est de sacro ordine, moderatur. Lege enim, alterum ex iis sacri, alterum profani ordinis esse oportet. Vnde consuetudine longâ introductum, vt *Vicecancellarius*, mortuo *Cancellario*, propter loci, & sententiæ dicendæ prærogatiuam succedat. Quare huic dignitati, viri doctrinâ insignes, & in Regni negotiis optimè versati, semper solent deputari: qui prudenter, quid fieri, vel concedi possit, quid item non, Regem eum suæ Maiestatis debita dignitate, informant. Nec debet quisquam existimare, officium, hoc simile esse scribarum muneri, quod antiquitus vile fuisse docuit Reuerendus admodum Pater Nicolaus Serarius è Societate I E S S. Theologiæ Doctor: suarum Moguntiacarum rerum lib. 1. cap. 29. vbi demonstrauit doctè, illud Officij genus, in dignitatis honorem transiisse; refellens Carolum

Carolus Sudermaniæ Principem: qui cum Cancellario Magno Regni Poloniæ, Ioanni Zamotcio scriberet, per ignominiam vocauerat illum scribam, his verbis. Non es mihi (sunt verba Sudermani) par: si par esses, non armis te, sed fuste, depellerem, vinctum darem. Scriba es, cum scribis, verbis certa. Quibus quid responderit, non dignitate tantum, sed doctrinâ etiam, rei; militaris peritiâ Magnus Cancellarius, in gratiam Lectoris, libet ponere epistolam, quæ sic habet. Audiebam te hominem cerebrosum, & intemperantis lingua, ac vitæ fuisse: ingenii in te aliquid esse sperabam; sed ostendisti vnum illud esse, quod de te intimi tui familiares sentiunt. Tantum te effreni impetu animi ferri, non iudicio regi. Scripsisti ad me schedam, quâ mirari te dicis, me tibi offerre duellum, cum sim tibi impar genere, & dignitate; cum tu Regio genere sis: & si tibi par essem, te non aliis armis, quàm fuste decertaturum mecum. Sudermanicæ hoc prudentiæ est, cum superbias Regio genere, non militarium hominum, sed baiulorum more, certamen baculorum, proponens. Quasi verò desint in Poloniâ fustes, & valentes lictores, qui, iis casos palis, maioris etiam quàm baculus magnitudinis, & proceritatis, suffigunt eos præsertim, qui se perduellione fœdarunt. Et si non sint in Poloniâ, per Dei gratiam, proditores: in Sudermania aulâ quarendi sunt. Iam verò quod scribis de genere: eo sum par omnibus Nobilibus, vlex quibus sunt Leges creati: & ita honestissimè natus, ut quivis Regum honestissimè. Titulos Ducum non appetui, nec oblatos accepi: contentus sum Nobilitatis Polonæ libertate. Tibi sordet Nobilitas. Carolus quintus augustissima memoria, & summi animi Imperator, cum aliquid affirmaret, id fide Nobilis viri se affirmare aiebat. In te hoc solum, quod respiciam habeo, quod ex eadem familia cum Serenissimo Rege natus sis; quod tu si curares, aliter cum eo ageres: cætera, tuo ingenio, tuisq; moribus digna, floccifacio. Dicis me scribam esse, & debere arma sinere: sum Cancellarius

cellarius, quod munus non impedit Electores Imperii, qui illud gerunt: quominus priorem locum, quam alii Electores, & Duces, ac tanti Duces teneant. Sum certè Cancellarius in patriâ meâ amplissimog, Regno, eo iure, eaq, dignitate, quâ ubiuis vel maxima sunt. Tu me fortasse Cancellarii Sudermania modo metiebare, qu maiores, & excellentiores Nobiles Poloni, vel priuati habeant. Nec verò Cancellarius solùm, sed etiam Generalis exercituum Præfectus sum. Arma gero pro Patria: exercitusq, duco supra viginti aliquot annos. Nomen meum notum est orbi terrarum: actiones meæ honestissima: labores, sumptus, pericula, pro Republ. suscepta: Tuum nomen paucis notum fuisset, nisi alieni Regni Dominatum inuasisses, & quidem Patruus Fratris filii: vel fortassis putas mei loco, Tyronem aliquem tibi cum exercitu obiectum iri. Ego sum atate, magnâ ex parte, exactâ, & fragili. Remp. Regni Polonia, Magniq, D. Lit. Deus O. M. Diuino suo Numine, & legitimo Imperio regit: firmam ac stabilem constituit: laudique & cultui sui dicauit. Habet illa multos Senatores, & Nobiles magnitudine animi, usu belli, ac prudentiâ præstantissimos. Patriam tuam à me turbatam, quod scripseris, dico te mentiri: & quicquid aliud in me contumeliosum, scripseris, aut dixeris, prorsus te mentiri dico, dicamque & scribam. Hæc contra consuetudinem meam, honoris mei causâ prouocatus tuendi, & necessitate à te mihi imposita, & quod tibi promissum, ita, ut tu mecum ageres, me tibi responsurum. Iam desino.

Theaurarius, ipso nomine indicat officium suum. Est enim promus, & condus thesauri Regis: symbolorum seu insignium Regni, quæ sunt, corona, pomum sceptrum, & gladius: supelletilis, & reddituum Regionum, scripturarumque, & monumentorum publicorum, actor, & moderator, quorumuis Questorum, curatorum, atque dispensatorum Regis, & rationum reddendarum exactor: monetariæ officinæ

cinæ Magister: stipendiorum, tam militarium, quàm aulicorum solutor. Reddendæ rationi Regi obnoxius.

Atque hîc addendum necessario. Officiales istos ordinis Senatorii, & si videri loco esse postremo inter Senatores: auctoritatem tamen habere eos maximam: & quorum cuique ad primas in Regno dignitates, ipso iure pater aditus. Nam cum hi exæquantur quidquid in Senatu vniquam conclusum fuerit, vti sufficientiam quisque suam, restatam facere; imò & diligentiam, in negotiis expediendis faragit: ita pro magis commendato, & benè merito habetur.

OFFICIALES ORDINIS, NON SENATORII.

OFFICIALES extra ordinem Senatorium diuiduntur rursus in tres classes; vel enim sunt totius Regni & M. D. Lit. vel sunt aulæ Regiæ: vel Districtuum. Totius Regni seu Generales sunt hi.

Exercituum Regni Generalis.
Exercituum M. D. Lit.
Exercituum Regni Campestris.
Exercituum M. D. Lit. Campestris.
Militiæ aulicæ Præfectus.
Secretarius maior Regni spiritualis.
Referendarius Regni spiritualis.
Referendarius M. D. Lit. spiritualis.
Referendarius Regni secularis.
Referendarius M. D. Lit. secularis.
Posillatores vtriusque gentis. 2.

Dapum

Dapum ineiflores, 2.

Gladiferi etiam 2.

Thesaurarius curiæ Regni.

Thesaurarius M. D. Lit. curiæ.

Thesaurarius Prussiæ.

Assessores iudiciorum curiæ.

Notarius causarum curiæ.

Notarius Cancellariæ M. D. Lit.

Regentes Regni Cancellariæ.

Instigatores causarum fisci.

Notarij campestres.

Excubiarum contra Tartaros præfectus.

Teloneorum, fodinarum argenti, plumbi, salis,
præfecti.

Pecuniæ eudendæ præfectus. &

Præfectus sylvarum.

CIRCA hos Officiales hoc obseruandum. Vt enim ordinis senatorij officialibus, ad primas dignitates: ita hifce ad ordinem senatorium maior patet aditus: præcipuè verò Secretario maiori, referendariis. Censentur namque de Rege & Repub. esse præ reliquis bene meriti: & qui ob vsum rerum, & facultates ampliores dignitatem Senatoriam tueri commodius possint.

Exercituum Regni Generalis & M. D. Lit. Est *Dux* & moderator belli secundum Regem, & vicarius Regis. Ducit exercitum: capit locum castris: acies instruit: dat signum pugnæ & receptus: com meatus & annonæ curam, in bello gerit: precia rebus venalibus imponit: ponderibusq; & mensuris earum modum statuit: in delinquentes animaduertit: & vt paucis reliqua comprehendam, in exercitu, & tempore

pore belli indi&ti, vterque auctoritate Regia plenipotenter vitur. Hoc etiam vsitatum in hac dignitate conferenda, quòd termè semper demandetur aliquibus ex ordine Senatorio, qui magis habentur apti. Ideò non est, quòd miretur quispiam, tam amplas dignitates, & quarum maximus in Regno Poloniæ vsus, in senatu non censeari. Senatoribus namq; conferuntur: vel etiam dignitas Senatoria confertur vnâ, si quis ex priuatis tâto muneri existimatur idoneus esse.

Campestris Dux exercituum tam Regni, quam M. D. Lit. est Vicarius Generalis Ducis, à Rege datus. Excubiarum potissimum explorationumq; curam gerit, mercenariis militibus, illo præsertim absente, præest: totalemq; iurisdictionem in exercitu eodem tempore exercet.

Militiæ Aulicæ Præfectus, est præses illorum militum, qui ad custodiam Regiam, præsentè Rege in castris ordinantur, exercetque in eos iurisdictionem, secundum Regem, plenariam. Durat autem eius potestas, quousque Rex manet in castris.

Secretarius maior Regni, absentium Cancellariæ præsidum, vicem supplet in aulâ, & comitatu Regis: nec tamen vt illi, gestat signum Regium, sed quoties opus est, petito ab illo annulo signatorio, tam diplomata publica, quàm Epistolas ipso præsentè signat. Habet hic secundum Cancellarium prærogatiuam ante omnes, capeffendi honores Episcopales, qui vacauerint. Habet & locum honorationem inter cæteros Officiales tam aulæ quam terrarum, seu districtuum.

Referendarii vtriusque gentis & ordinis, sunt supplicum libellorum Magistri, & querimoniis hominum audiendis, Cancellariæq; vt verbo legis vtamur, referendis præfunt. Quin etiam in litibus vrbanis disceptandis, eidem Cancellariæ

lariæ præsto sunt : cuiusque permissu exponunt Regi cum consilio , causas & controuersias litigantium : habentque locum in iudiciis Regis , extra comitiorum tempus celebrari solitis, sententiæ ferendæ.

Pocillatores, vtriusque gentis duo, ipso nomine indicant officia sua : quibus adiungere licet *Dapum* incisores.

Gladiferi in pompâ publicâ Regi præferunt enses.

Thesaurarius curiæ Regni & M. D. Lit. supremi Thesaurarii Regni absentis vices gerit , adhibeturque aliquando & à præsentē, ad pleraque omnia, quæ ipsum concernunt.

Thesaurarius Prussia est, qui pecuniam omnem, & rationes à Præfectis, & ministris bonorum Regis, & prouentuum, atque etiam tributorum publicorum exigit : & vel ipse administrat, vel Thesaurario Regni tradit. *Assessores iudiciorum curiæ*, sunt plerique Officiales, qui in aulâ Regis præsentē sunt , utpote supplicum libellorum Magistris, siue Referendarij, Vicecancellarius, & nonnulli ex Secretariis.

Notarii curiæ, tam Regni, quam M. D. Lit. nomine declarant munus suum.

Regentes Cancellariæ sunt illi, qui Notariis curiæ eum potestate præfunt.

Instigator causarum fisci est, qui bona iure caduco ad Regem, & fiscum, eius deuoluta, iudicio à possidentibus repetit, & fisco vendicat : siue illa ciuium, siue externorum, siue Nobilium per confiscationem Regi competentia, fuerint.

Notarius Campestris, est mercenariorum militum confertor, & stipendiorum solutor.

Præfectus excubiarum contra Tartaros, qui in finibus Regni, ver-

gni versus Scythas assiduas gerit excubias, ne inopinas excursiones in Regnum faciant: teneturque is semper tempestiuè Generalem exercituum præmonere, vt maturè hosti cum exercitu occurratur.

Præfetti teloneorum sunt; qui tributa & vectigalia Regni exigunt, eorumque rationes Regi competenti tempore, reddunt.

Præfetti fodinarum argenti, plumbi, salis, curam gerunt horum metallorum, iurisdictionemq; exercent in operarios: rationibus reddendis Regi obnoxij.

Præfetti pecunia eudenda, sunt posissimum Thesaurarii, ad quorum officium pertinet, vt proba, & iusti valoris moneta in Regno eudatur.

Præfetti sylvarum sunt, qui in syluis, in quibus Rex solet venationibus aliquando indulgere, prohibent, ne quiuis promiscuè venetur.

OFFICIALES AVLÆ REGIS.

Camerarius supremus.

Pocillatores.

Incisores Dapum.

Vexilliferi.

Stabuli Præfetti.

Culinæ Præfetti.

Curruum Præfetti.

Camerarij vulgò lectistratores.

Pincerna.

Subdapifer.

Stabuli Vicepræfectus.

Venator primarius.

Aulici quorum magnus numerus.

Secretarii.

Salariati.

Pueri Regii.

Cubicularij.

Notarius thesauri maior.

Stripatores.

Doctores Medici.

Capellani.

Notarij thesauri.

Musici.

Ostiarii.

Satellites.

Hospitiorum distributor.

Curruum vicepraefectus.

Dispensator.

Vini distributor.

Tubicines.

Tympanistæ.

Equifones.

Argenti custodes.

Culinæ familia.

Artifices omnis generis.

Artifices & Stabuli famuli.

Artifices & famuli curruum.

Venatores & aucupes.

Apparitores.

Horum Officialium munera, ex ipsis nominibus nota esse possunt: Sunt tamen plerique, qui peculiare quid habent: quorum officia paucis adnotabo.

Camerarius supremus præest cubiculo, Lectistratoribus & cubicu-

cubiculariis Regiis: aduertitque, vt omnia, pro dignitate Regis, administrentur.

Subdapifer, curat, ordine fercula mensæ Regiæ adferri, præcedens, cum sceptro, seu baculo dapiferum.

Aulici, quorum magnus est numerus, sunt primarij ex Nobilibus constituti, equis stipendia merentes, præsidij, honorisque Regij causâ; quem equestrem, seu curulem equestres ferè comitantur. Qui equitatus numerosus est, atque splendidus: huic Marschalcj moderantur, & delinquentes omnes puniunt. Sunt etiam quidam aulici, qui non habent necesse equos alere: hi prodeuntem in publicum Regem pedestres deducunt; Quanquam in solemnibus pompis non inusitatum est, vt equites quoque equestrem Regem antecedant.

Secretarii, quamuis nullum peculiare certumq; munus attributum habeant: ad nutum tamen Regis præsto sunt, in obeundis eius nomine legationibus, inscriptionibus, & lectionibus publicarum ac Regiarum scripturarum: in acciendis & deducendis ad Regem, vel in senatum Illustribus hospitibus, & Legatis Principum: in exquirendis & referendis sententiis, ægrotorum, & à consilio absentium primariorum Senatorum: in recognoscendis pro Rege locis, & factis, & causis controuersis, Regiorum præsertim hominum & administrorum, inter ipsos, vel cum magistratibus suis: & si qua sunt alia honesta, & cum dignitate coniuncta ministeria.

Salariati, sunt Concionatores, seruatores interioris cubuli, & similes: quibus certa stipendia, & certa merces numerari solet.

Pueri Regij & Cubicularij præsto sunt ad quæuis domestica Regis ministeria, Cubiculariorum tamen peculiaris v-

sus est in acciendis in Senatum, & ad Regem Consiliariis, & deferendis quoquò versus litteris, mandatis edictisque Regiis. Quam ad rem opidatim, & vicatim, illis mandato Regis equi subministrantur.

OFFICIALES DISTRICTVVM.

OFFICIALES Districtuum possunt commodè diuidi in duas classes, vt quidam sint Officiales terrestres: quidam Officiales Castrenses.

TERRESTRES OFFICIALES SVNT.

Succamerarius.

Vexillifer.

Iudex.

Dapifer.

Pocillator.

Venator.

Subiudex.

Pincerna.

Subdapifer.

Notarius.

Gladifer.

Quæstor.

Tribunus.

Succamerarius est, qui regendis finibus agrorum, ac bonorum terrestrium, tam ad Regem, quàm ad Nobilitatem, capitula, ciues, pertinentium, præst. Qui iuratus oportet vt sit: habetq; is ad id munus obeundum Vicarios, qui Camerarii vocantur: eosque sibi legit arbitrato suo, ex Equestri or-

stri ordine eiusdem territorii, & iureiurando adigit, mutaque quoties vult.

Iudex terrestris, causis & controuersis priuatis, Nobilitatis, disceptandis, & iudicandis cum Subiudice præsidet, qui est eius socius, non vicarius, loco tamen inferior: quibus adiungitur Notarius seu Actuarius iudicii, qui habet quoque in illis iudiciis, ius dicendæ sententiæ.

Quæstor est exactor contributionum publicarum, in certo territorio, obnoxius rationibus reddendis.

Tribunus Custor est Arcis, in suo quisque territorio, durante bello: ob eamque causam vacationem habet militiæ.

Cæterorum Officialium ministeria ex nominibus nota sunt.

OFFICIALES CASTRENSES.

Capitanei cum iurisdictione.

Capitanei sine iurisdictione.

Burgrauii.

Vicecapitanei.

Iudices.

Notarii.

Capitanei cum iurisdictione sunt Præfetti Arcium & Cinitatum Regiarum, qui vocantur brachium Regale. Isti iudicia exercent, querelarum quidem nomine appellata, utpote quæ fiunt in causis leuioribus, singulis duabus ordinariè septimanis. Castrensia verò, ubi videlicet disceptatur, de causis grauioribus singulis sex septimanis: nisi quid obster. Habent hi Vicecapitaneos, Iudices, Notarios: imo & familiam numerosiore, & pediatum,

tatum, ad prohibendum, ne cuiusvis vis inferatur: vel insolentiores contra leges patriæ delinquant impunè. Habent itaque iurisdictionem, coercionemque latè patentem, non modò in agrestes, & opidanos: verùm etiam in Equestris ordinis homines. Præterea omnium aliorum iudicium, Ecclesiasticorum iuxtà, ac profanorum, sententias executioni mandare possunt, si executores vel nolint, vel non proficiant. Gerunt etiam curam commodorum & reddituum Regis, qui ex re familiari ac pensionibus opidanorum proueniunt: Qui tamen redditus, quartâ detractâ illis ob merita eximia donantur. Illis etiam inter reliquos officiales cuiuscunque ordinis, maior patet ad ordinem senatorium capessendum aditus.

Capitanei siue iurisdictione sunt qui vulgò tenutarii bonorum Regalium nuncupantur. Hi nulla iudicia exercent: insolentias tamen leuiiores coercendi ius quandoq; habent.

Burgrauii sunt custodes Arcium, qui pacis iuxtà ac belli tempore, nocturnas, atque etiam quando opus est, diurnas excubias per se, vel suos administratos seruant, Capitanei auctoritati subiecti.

Sequuntur Nobiles, Barones, Comites, Duces. possessiones ibidem habentes suas, & hæreditates: Tum & Ecclesiarum, siue Cathedralium & Collegiatarum Capitulares; siue Parochialium, ac aliarum quarumvis Rectores. Ut mittam, ciuitates, opida, villas, arces: demum & mercatores, artifices, & id genus plebem.

Iam ex his Nobilibus, Baronibus, & reliquis assumuntur ad dignitates senatorias, solius arbitrio Regis. Interim verò operâ, cuius vel quorum visum fuerit, utitur Rex in legationibus, in commissionibus, in finibus regundis, in contributionum publicarum exactionibus, in militiâ, & id genus munis publicis.

Sed


Sed & ipsimet de medio sui, per electionem, & liberis suffragiis magis idoneos, quandoque ablegant cum potestate Nunciorum terrestrium ad Comitia Regni generalia: nonnunquam mittunt ad Regem de suis necessitatibus acturi; aliquandò deputant Iudices ad Tribunal Regni. Quod cum sit vltimæ instantiæ, prouocatio ab eo non datur, nisi ex paritate sententiarum causa aliqua remittatur ad Comitia, Regi, & Senatui discutienda, & decidenda. Cum enim Rex, causas & actiones Nobilium per appellationes ad iudicium suum deuolutas, expedire ob occupationes, quæ illi semper maximæ, non vsquequaque potuisset; consultum illi esse volentes iustitiæ & rebus suis; eam iudiciorum formam adinuenerunt, deq; indulgentiâ Principis confirmationem eiusdem obtinuerunt. Non tamen Rex iam vacat à iure dicundo, ciuitatum & opidorum omnium quæ iure vtuntur Saxonico; causæ agitantur in curiâ. Causæ item Fiscæ ad iudicium eius pertinent Regium, & quædam aliæ. Criminalium verò inter Nobiles causarum, ipse est vnicus cum Senatu Iudex. In eius namque manu fideli, honores omnium positi & pœnæ.

Illud quoque libertatis habent præcipuum, quòd vnà cum DD. Senatoribus ad electionem Noui Regis pertineant, non solum deficiente, post obitum Regis, prole masculâ, quæ succedere debeat (Quis enim inuitis illis Regni sibi habenas sumeret?) verum etiam dum Princeps legitimus successor, secundum leges Regni, in Regem debet eligi. Hic etenim, licet succedat semper, præcedit tamen facta in personam ipsius electio. Neq; hoc imminuit quidquam de Maiestate tanti Regis, cum & duo præcipua orbis Christiani capita, eadem ratione constituantur in Imperio quisque suo, per modum videlicet electionis: atque ij

26 DESCRIPTIO STATVVM REGNI POLON.

tamen idem ius in suos, quod & cuique Principi hæreditario itidem in proprios. Faciunt demum cum debito in Reges suos cultu, obseruantia, & subiectionis testificatione, animis nimirum promptis, & volentibus: nec vnquam committunt, quin hic eligatur, cui ipso iure debeatur successio. Non tamen eum modum negligunt, ne tantam libertatem ire perditum videantur: cum & Regis eo maiorem in populum benevolentiam, hæc se ratione magis promereri, ac retinere existimant: & necessitate quadam Principem suum obstringere: quo filium, quem sibi designatum velit successorem, litteris, rerum vsu, cæterisque virtutibus: in primis verò pietate sedulo curet imbuendum: ab his namque omnibus instructum eum esse oportet, qui tam amplis, longè latèque patentibus, tum in medio potentissimorum hostium sitis Regnis, imperaturus vnquam est, & habenas eorum moderaturus.





ADIVNCTVM TESTAMENTI

ILL^{MI} ET REVER^{MI}

IN CHRISTO PATRIS, DOMI-

NI D. IOANNIS DEMETRII SOLIKOVVS-

KI, Archiepiscopi Leopoliensis,

&c. &c.

Quorum non debeo, nec volo obliuisci in morte.

1. **P**ROPRIÆ Salutis & perseverantiæ, in fide, spe, & charitate.

2. Deprecationis offensarum omnium: quamvis neminem puto me læsisse, nisi ex zelo; Deus tamen omnia melius nouit.

3. Remissionis perfectæ, iis qui me offendebant, & ad cordis amaritudinem adducebant; puto commérito meo nullo. Fuerunt autem tales, ex omnibus statibus. Pareat illis Dominus Deus, qui nobis omnibus pepercit.

4. Regis mei postremi, cuius tempore morior. Benedicat illi Dominus. Mortuis requiem: viuo longam felicitatem opto. Sigismundo Augusto, Annæ, Henrico, Stephano, Sigismundo III. seruitum est fideliter, à non molesto exactore.

5. Regni & Patriæ carissimæ. Seruet te diu sospitem, & claram & liberam Dominus. O Patria cara, multoties &

in multis à seopo aberrasti, & te turpiter dedisti, & ad seruitutem tibi fores aperuisti; quia cultum veri Dei in multis locis deseruisti, & consilia recta contempsisti.

6. Coepiscoporum meorum; Deus vobis ô Fratres honorandissimi det vigilantiam super vos & super greges vestros. Ratio stricta imminet. Orate Dominum Deum & pro meis culpis ac defectibus. Plus aliis præstare debui, minus vobis omnibus præstiti. Iuuat fratrem vestrum mortuum, qui viuus vobis semper satisfacere volui.

7. Capituli mei, Cleri mei, & ouium Christi Domini mihi commissarum: Multis non placui, nec tam placere quàm prodesse volui. Amarior interdum, sed amans semper vestri fui. Nunquam cuiquam, nisi eius moribus offensior. Imperfecti quærite viam perfectionis. Mediocres proficere satagite. Perfecti philautiam cauete, humilitatem retinete, supercilium deprimite. Societas nominis IESV sancta, ora pro me, & da veniam zelo meo, cui facultas defuit. Item Rosarij, S. Annæ, Corporis Domini, S. Ioannis Baptistæ, Misericordiæ: Cordigerorum, &c. me Deo commendate, vt defectus meos mihi remittat.

8. Collegarum Senatorum. O senes patriæ, patriam antiquo amore colite, moribus & virtutibus antiquis conseruate. Rebus propria nomina date, concordiam seruare, æquitatem diligite, æqualitatem custodite, ambitioni occurrere, iustitiæ semper fautores estote.

9. Matris Academix Cracouiensis. Debeo tibi quicquid fui, Polonus Polonæ, tua tantum vbera lambens, tibi me & nunc commendo moriens & mortuus. Plus debui quàm præstiti. Sarciat imperfectum meum S. Anna mater matris Domini, & S. Florianus.

10. Fratrum, consanguineorum & familiæ: Parcite si vos mul-

vos multum iuuare non potui. Feci quod potui. Facite vos quod potestis in alios pari fide. Nemo vestrum fame mortuus est, nec morietur fidens Deo. Patriæ ne deeste, præmia non expectate nisi sempiterna. Virtuti ea non deerunt, vel toto mundo reluctante.

11. Familiarium & domesticorum : Pareite quia & ego peperci. Si nocui admonendo, ecce iam taceo. Si retinui precium, vos ipsi testes. Si quis me in seio in se iniurius, sibi det veniam; & iterum ne impingat, caueat.

12. Pauperum, & scholarum : Tenuem dispensatorem, sed vestri boni cupidum habuistis. Sit gratum orare pro me, vnum Ave Maria. Nemo pauper nisi animo. Fortuna nulli iniuriam facit, cui Deum sequi lubet.

13. Funeris proprii. Sepelite vt vultis. Ego mortuus non superbio esca vermium: qui viuus inter Reges & Principes me terram semper memini.

14. Gratitude erga Deum Opt. qui hominem aliquis loci esse voluit, Christianum fecit, sacerdotio ornavit, Pastorem sui populi constituit, rexit, gubernauit, defendit, in variis casibus misericorditer subleuauit.

Gratias etiam ago.

- P**
1. Arentibus, pro diligenti educatione.
 2. Præceptoribus. Adamo Lasenski, Ioanni Wierzeyski, Luca Gieskouio, Benedicto Kotarski, Iac. Gorscio, Obrembio, Bodzencinio, Sadkouio, Alb. Nouiecampiano, pro beneuolentia & fauore singulari.
 3. Dominis meis. Iacobo Vchanski Archiepiscopo Gnesnensi, Valentino Debinski Regni Cancellario, Ioanni Chod-

ni Chodkievvicz Castellano Wilnensi, pro primordiis exercitiorum in Repub.

4. Patronis. Stanislao Hosio Cardinali, Martino Cro-
mero, Varmienſis Eccleſiæ Episcopis. Stanislao Karn-
kovski Archiepiscopo Gneznensi, Hieronymo Rozdra-
zovvski Cuiauiensi, Petro Wolski Plocensi, Laurentio
Goslicki Poſnaniensi, cum quo in studiis Cracoviæ creui,
Petro Koſtka Culmenſi, Valeriano Vilnenſi Episcopis, pro
declaratâ in multis gratiâ, benevolentiâ & beneficiâ.

Amicis. Ioanni Koſtka Palatino Sendomiriensi, Nico-
lao Mielecki Palatino Podoliensi, Ioanni, & Andreæ Ten-
ciniis fratribus Senatoribus, Stanislao Zolkievvski Castel-
lano Leopoliensi, Nicolao Herbut Castellano Præmyſ-
liëſi, Capitaneo Leopoliensi, Chriſtophoro Rozdrzevvs-
ki, Ioanni Leſniovski Pocillatori Leopoliensi, Stanislao
Kraſinski Archidiacono Crac: Hieronymo Povvodouio
Canonico & Archiepresbytero Crac: Alberto Oczko
Phyſico Regio, Auguſtino Rotundo, Alberto Pizerocki,
pro omni studio, & interdum pro inſignibus officiis. Mie-
lecio verò, pro inſigni eleemoſynâ, in pios vſus Eccleſiæ &
pauperum Leopoliensium.

6. Conſanguineis & fratribus: Stanislao Gomolinski
Episcopo Luceoriensi, Alberto Laſki Palatino Siradiensi,
Ioanni Oſtrorog Castellano Poſnaniensi, viro digno, maxi-
mo loco Reipubl. Iacobo Pretſiez Castellano Kamenecen-
ſi Capitaneo Trebovvenſi. Domui Chriſtoporski. Item
fontibus domus meæ paternæ, Phredrovv, Boniecki,
Sieniecki, Trzaskovv, Pobogovv, Oxovv, pro
multis ſignis amoris, & beneuo-
lentiæ.

Retribuat ea omnibus misericors & iustus Dominus, gratiam suam viuīs, & mortuis gloriam sempiternam.

1. **R** Ogo vos magni in Repub. viri, Petre Tylicki Episcopo Varmienfis & Regni Vicecancellarie, Nicolae Zebridoui Palatine Crae: Ioannes Zamoyski Cancellarie & exercituum Regni Dux, vosque alii patriæ Principes: seruate hanc Rempub. ab interitu. Agitur causa Dei, conscientiae, honoris vestri & premii sempiterni. Praestate vos viros, cum honor Dei id requirit. Non estis imbelles. Ornauit & armauit vos rebus omnibus hæc patria: omnia illi debetis. Nepotes meos habete etiam vestrae gratiae commendatos, si boni erunt. Et te Georgi Mnizek benefactor meus, Palatine Sendomiriensis: minor licet ætas dispares habebat, nunc vnus pietatis iunxit, & adhuc magis iunget amor.

2. Bernarde Macieioui Episcopo Crae: Nunc Cardinalis & Archiepiscopo Gnesnensi, Regni Primas & à latere Legate amabilis, tu meo funeri, ego tuo operam dare promissimus. Si poteris spero facies, & me in nepotibus meis amabis. Nosti quo in te semper fuerim animo, & Deus melius.

3. SIGISMUNDE Rex, rogo te per Dei misericordiam, vt talem huic loco Pastorem prouideas, qui laborem sustinere possit, in omnes partes vigilet, & zelum Dei habeat. Fratrem etiam Albertum tuæ Maiestati commendo. Fecit omnia quæ potuit tuâ causâ. Et alter tibi Stanislaus seruans mortuus est. Filiis eorum rogo sis clemens pater & dominus.

4. Alberte frater, seruisti mihi, vt bonum fratrem deiecit. Rependat tibi Dominus Deus, quod ego non potui.

Valete omnes, & mori mementote.

ADIVN-



ADIVNCTVM TESTAMENTI

ILL^{MI} D. D. IOAN-
NIS ZAMOSCII, MAGNI CAN-
CELLARII, ET EXERCITVVM GE-
neralis Regni Poloniae, &c.

SECVNDVM Deum maximè in terris Ser^{mos} Re-
ges meos & Rempub. non assentatorum more,
sed sincerimè colui, quibus fidem integram
inuiolatamque seruavi, & eorum dignitatem
foris & libertatem domi charissimam semper habui. Qua
in re, certè nullà ex parte, læsam conscientiam me habere,
subiturus Dei iudiciũ, profiteor. Ciuibus meis quibuscun-
que, qui me læserunt, ignosco, & ab eisdem mihi ignosci ex-
peto. Pietatem erga Patriam, obseruantiamque erga Re-
gem commendo. Vt luxum, & discordiam fugiant, quàm
maximè fceneratorum auaritiam publico consensu coer-
ceant, rogo. Pro me nihil aliud, quàm memoriam qua-
lemeunque meritorum meorum postulo, Confido S. R.
M. Patriam hanc nostram, quæ illam excepit, & aliis præ-
tulit, ac suorum sanguine in Regem confirmauit, constan-
ter redamare: amor tamen meus facit, vt eam vel curren-
tem etiam adhortari debeam. Priuatim verò ab eius Ma-
iestate Regiã, animum erga vnicum filium, ac domum me-
am peto: cuius curæ, benignitati, ac auctoritati præci-
puè commendo eundem filium meum, & quasi de manu
trado.

trado, in sinumque eius depono. Te charissime fili non modò hortor, verùm etiam obtestor: primò quidem, vt Deum, & pietatem ante omnia colas, eamque non modò potissimum, sed solum quasi bonum, aut aliorum quasi bonorum vnicum fundamentum iudices. Inprimis religionem Catholicam constantissimè tuearis, hæreses, nouaque dogmata quæcunque, quocunque nomine etiam obtrudantur, fugias. Ac si fortè Regni amplissimi Ciuem telecteris: iis maioribus, qui meritis suis aliquam sibi nominis famam reliquerint, tanto magis nullo præstantiore parente Ecclesiam Catholicam latam tibi statuas: quæ non modò tot Regum ac Principum, sed quod longè præclarior est omnium Sanctorum communis Mater, & in cuius gremio felicius mori, quàm ab initio nasci, cum non nasci satius sit, quàm in hac non mori. Cura verò, vt efficias, ne vilius criminis tibi conscius sis. Hæc arma, hunc murum fortissimum in omni discrimine ac periculo expertus sum. In Repub. Ser^{mis} Regibus tuis, tum ipsi Reipub. integram, inuiolatamq; fidem semper præsta, semper nouas res omnes fuge. Eas autem partes semper sequere, quæ præsentem statum saluum volunt: honores non tam ambi, quàm vt omnino honore dignissimus iudiceris, contende virtute parare ea, quæ præclara ab hominibus iudicantur: verùm vel ab ipsis parta, vel à parentibus relicta, quibus artibus parta sunt, iisdem etiam conseruare maximè statuito. Priuatim cum alias virtutes omnes; tum iusticiam, maximè temperantiam, & modum fruendi facultatum, cole: vt tibi semper suppetant, ad Regi, & Reipubl. deseruiendum. Luxum, desidiæ, profusionem in voluptates, & inanem fastum quàm longissimè à te segrega. Seniorum, inprimisque paternorum amicorum, ac familiarium consilio omni-

bus in rebus vtere, præceptisque eorum obedi. Iuuenilia,
vel corruptorum hominum, qui adolescentes locupletes
assentando captant, consilia, & consortia fuge: neue eo-
rum aut exemplo, aut cohortatione, ad novas res aliquas,
aut profusionem, aliaque vitia, aut quascunque res, quæ
speciem aliquam magis virtutis, & gloriæ, quàm solidi quid
habeant obrepere patiaris, caue. Vt finem faciam, ma-
gis eos, qui virtute & moribus parentes referunt fi-
lios, & ab illis, & omnibus charus habe-
ri memento, quàm na-
turâ.

LAVS DEO, VIRGINIQVE
MARIE MATRI.



Errata sic corriges.

Pag. 3. lin. 4. *beneficentia.* pag. ead. lin. 24. *Archiepiscopales.* pag. 11.
lin. 26. *animaduersio, ne.* pag. 13. lin. 23. *Reges.* pag. ead. lin. 24.
apperini. pag. 14. lin. 5. *quo.* pag. ead. lin. 29. *Quastorum.* pag. 19.
lin. 11. *potissimum.* pag. 20. lin. 24. *Et famuli stabuli.* pag. 24. lin.
3. *coercitionemq.* *Cetera errata si qua sunt, beneuolus Lector*
prudentiâ suâ corriget.

E. yuccae var. *multicarinata*

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.